

tà Medicos innumera morborum genera longo post se firmate trahunt. Si verò secundum, profectò humores illi in interioribus membris ob circumstantem calorem nimium quantum inflammantur, undè malignæ febres enascantur, & sæpius humido radicali, quod vocant, absumpto mors ipsa subsequatur, necesse est, & huc referre liceat illud Apophtegma Galeni: Balnea, & vires dissipant, & mortem accelerant. Porrò in ipso Thermarum usu Regulæ subjectæ esse poterunt adjumento.

i. Quo diei tempore, quòtve horis adhibendæ sint Thermae aut quoties de die universaliter determinari nequit; sed ipsa hominis constitutio, robur, debilitasque virium, calor aut frigus naturale, ætas, complexio, aliæque circumstantiæ in consilium vocandæ sunt: Commodus Imperator septies atque octies diebus singulis balneabat. Gordianum & Galienum æstate quinquies, hyeme verò bis in die balneis usos fuisse legimus. Sifinnius Novatianorum Episcopus binis quotidie vicibus adhibebat Thermas: interrogatus autem quam ob causam bis balnearet, respondit: quòd ter lavare mihi commodum non est. Id nihilominus

D 4

cer-